



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 15. Vxores quantu[m] viris poßint prodesse?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

numismata proferens dedit illa uxori sue dicens, tanto se illum vendidisse. Illa vero summa diuinæ bonitatis clementiam admirans dixit ei: Ecce DEVS Christianorum qualis est, quam bonus, quam gratus, quam dines! Vides quia non solùm quinquaginta numismata tibi reddidit, qua tu illi mutuasti, sed paucis diebus tibi sexduplicata restituit? Agnosce gitur, quia non est DEVS alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille vero miraculo admonitus, cum experimento didicisset & ipse veritatem, effectus repente Christianus, glorificauit Deum & Saluatorem nostrum Christum cum Patre & Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissima uxori sua, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

§. XV.

Vxores quantum viris possint prodeesse?

Verè bona vxor magnum est bonum mariti. Hæc docuit virum suum sanctam usuram; neque solùm dititem fecit, sed etiam Christianum. Utinam haberet multas imitatrices! Aliæ vxores, vt earum superbiæ satisfiat, coniuges suos, ad fraudes, ad rapinas, ad mille dolos adigunt; furta eorum occultant, distrahunt, dissipant; neq; conantur bonis artibus ditescere. Enim uero

H 3

blan.

blanditijs , aut nequitijis suis corda virorum euertunt , & ad hæreses , aut alios errores , nec rarò ad idola pertrahunt , quod ipsi contigit Salomoni . Non est hoc bona vxoris , de qua dicitur , *sanctificatus est vir infidelis , per mulierem fidelem* : quod de S. Cæcilia legimus , quæ maritum suum Valerianum ; de Theodora , quæ Sisinnium ; de Clotilde , quæ Clodouæum ; de Natalia , quæ Adrianum , per preces , per verba , per bona opera , per exempla sancta , conuertit . At maritum habes fidelem ? si non potes illum conuertere ad fidem , in qua iam est , conuerte ad iustitiam , conuerte ad misericordiam , conuerte ad charitatem ; doce eum dare eleemosynas , nec ei manū iniice dare cupienti , quod multas , prō dolor , auarissimas Orci Nymphas audiuimus factitare .

§. XVI.

Non malis , sed bonis artibus , pecunias esse querendas .

Discite hīc & vos pecuniæ sititores , non pluris facere industriam vestram , quàm gratiam diuinam : non magis confidere , in ve-

Psal. 126. stro labore , quàm in Dei ope . *Vanum est vobis , ante lucem surgere ; vanum , tota nocte , laborantes vigilare , & facere operationem in flumi-*

R. Cor. 7.
14.

2.